

DE ACCEPTILATIONIBUS.

8.44.1

Imp. Antoninus A. Apronio.

Iam tibi rescripti posse apud iudicem quaeri, an sollemnibus verbis tutoris auctoritate interveniente soror tua acceptilatione debitorem suum liberaverit: quare si in repetenda pecunia, quam exsolvit, diversa pars perseveraverit: uteris defensionibus competentibus.

PP. III id. Febr. duobus Aspris conss.

[a. 212]

8.44.2

Impp. Diocletianus et Maximianus AA. et CC. Claro.

Si donationis gratia novatione facta per acceptilationem praestiteris liberationem, omnis agendi via perempta est.

S. VI k. Ian. AA. conss.

[a. 293]

8.44.3

Idem AA. et CC. Demetriae.

Per Aquilianam stipulationem pacto subditam obligatione praecedente sublata et acceptilatione, quae fuerit inducta, perempta: ei, qui ex nulla causa restitui potest, omnis agendi via paecluditur.

S. V k. Dec. CC. conss.

[a. 294]